UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 125. Factio in Anglia adversus Richardum Regni usurpatorem

urn:nbn:de:hbz:466:1-66444

Visual Library

conſpecto Rege ad Palatii feneſtram clamare auſus fuerit; occidatur Polonicus ille porcus, oſor calicis, ſeu communionis ſub utraque ſpecie. Matthias haſce turbas in rem ſuam vertere intentus, Bohemiam ſubjugare moliebatur, ambitioſa tamen ſpe; ſua fruſtratus. Sæcul. XV. A.C. 1483.

§. CXXV.

Factio in Anglia adverſus Richardum regni uſurpatorem.

Richardus Anglicæ coronæ uſurpator, cum totum ſe feroci, ſuperbo, privatique commodi ſtudioſo dederet genio, fidiſſimorum quoque amicorum invidiam in ſe provocabat; cumque datam Buckinghamo Duci fidem violaſſet, hic jam aliunde inter audaciſſimos ævi ſui Viros facile princeps, hanc perfidiam tam inique ferebat animo, ut ex illo temporis articulo in Richardi perniciem juraret. Ergo Brehenotum ad villam ſuam ſe recipit, ubi Helienſis Epiſcopus Vir probitate mentis, ac morum integritate inſignis captivus detinebatur; huic arcana animi ſui conſilia manifeſtat, ejusque amicitia ſibi conciliata, Præſulem tam feliciter ad ſuas partes pertrahit, ut ambo inviolabili ſervandæ fidei ſacramento ſeſe mutuo obſtringerent. Nec ſegnior Margarita de Sommerſeto Comitis Ri-

Sæcul. XV.
A.C 1483.

chemundii Mater quamdam factionem in Filii ſui gratiam, qui in Britannia velut cuſtodiæ mancipatus erat, conflabat, ipſumque Buckinghamum Ducem impenſe rogabat, ut ejus conſiliis adeſſet. Huic Dux, quantum in ipſo eſſet, omnem opem & operam pollicitus eſt, eodemque temporis momento Richemundium Comitem in Angliæ ſolium evehere decrevit, ſuaque dexteritate tantum effecit, ut nuptiis Comitem inter & Eduardi IV. filiam conciliatis, ipſos quoque, qui olim Eboracenſibus favebant, Richemundio addictiſſimos redderet.

§. CXXVI.

Diſſidium inter Maurorum Reges.

Rex Granatenſis repudiata conjuge ſua, ex qua plurimos liberos ſuſcepit, quamdam fœminam, quæ a Chriſtiana religione defecerat, nomine Zaraidam conjugio ſibi copulavit. Hæc adepto tantæ dignitatis honore nimium ambitioſe filiis ſuis regnum aſſerere moliebatur, ne vero ſua ſpe fruſtraretur, Regem induxit, ut filios ex prima uxore progenitos neci daret. Rex in crudelis hujus fœminæ gratiam, exuto Paterni cordis affectu, nefando illius conſilio aquieſcere decrevit. Aſt Mahometes Boabdiles ex hiſce Filiis natu major unacum Matre

ſua,